

IOSEPHUS LÖW

DE AESTIMATIONE SANCTI ALFONSI IN GERMANIA
TESTIMONIA RECENTIA

Non agitur in hac brevi notitia de aestimatione S. i Alfonsi in Germania uti hominis studiosi et docti, in materia sua « specializzati », sed potius de aestimatione generali, seu, ut aiunt, totius « personalitatis ».

Rem bene significantia nobis esse videntur duo testimonia recentia, quae breviter adducturi sumus.

1. - *Testimonium scriptricis Idae Fridericae Görres, 1955.*

Ida Friederika GÖRRES, nata comitissa COUDENHOVE-KALERGI, absque ullo dubio inter clariore scriptores catholicos modernos Germania connumeranda est. Eo maioris ponderis habentur, quae scribit et quae de rebus vel hominibus diudicando proponit.

An. igitur 1955 publicavit grandem librum 452 paginarum, cui titulus *Aus der Welt der Heiligen*; praefatio libri exhibet diem festum Epiphaniae eiusdem anni. Primum caput libri hanc habet inscriptionem: *Notizen und Einfälle*; et ibi, a p. 73 ad p. 79, agitur « über Alphons von Liguori ». His itaque paginis habemus scriptricis « notas et "impressiones" » de nostro Sancto. Sicuti postea compertum est, auctrix has suas notas et impressiones deduxerat ex lectione noti libri nostri P. is A. PICHLER, *Der hl. Alfons von Liguori. Ein Charakterbild* (Regensburg 1922), liber qui, ut secundo titulo revelatur, circa « personalitatem » Sancti, naturalem et supernaturalem, versatur. Infitiari vix potest, mirandum esse celebrem auctricem ad tales deductam fuisse impressiones, quas sine haesitatione magno publico obtulit. Qui enim dictas paginas perlegerit, primis verbis scriptricis commotus, facile ad iudicium minus dignum, ne dicatur, improbum, perducitur, ad quod ipsa auctrix — uti videtur, — pervenit. Verum est, ipsam multa acta quoque et dicta S. o Alfonso faventia collegisse, manet tamen in fine in mente legentis « impressio » sat acerba et ingrata.

Hoc dolendum est ex alio quoque capite: S. Alfonsus enim in illis regionibus — generali modo loquendo, et si excipias eius qualitatem ut « moralista » — non adeo bene notus est, ne inter doctos et bonos catholicos certus quidam mentis frigus vel aversio facile oriri vel in animo persistere possit, si notissima illa scriptrix optimi nominis et fama « catholicitatis » decorata, de S. o Alfonso res, acta, cogitationes, primo aspectu miras vel absonas quasi reprehendendo protulerit.

Rebus sic stantibus, mirum non est, expositioni auc tricis mox oblocutum fuisse, imprimis a Nostris. Sufficit, de his rebus, nunc iam absolutis, historicae fidei causa pauca notis detinere.

1955, prima aestate. - Nutritum epistularum commercium inter P. em Victorem SCHURR, qui in studentatu nostrō Gars (Bavaria) theologiae dogmaticae est professor et auc tricem, quae iam antea ob alias quaestiones eidem litteras dederat atque ab eo acceperat.

1955 14 VIII. - Ida Friederike GÖRRES, *Das große Gastmahl. Eine Betrachtung über die Schwächen der Heiligen in Der christliche Sonntag* 7 (1955) N. 33, 261-62, 264. - Est studium quo scriptrix iudicium suum de S. o Alfonso excusare intendit, generali modo tractans de Sanctorum debilitatibus quibus eorum sanctitudo et spiritualis pugnae heroicitas magis excellunt.

1955 25 VIII. - Declaratio scripta, publico cursu demandata, quinque PP. um Provincialium nostrorum: BÜCKERS (Köln), SCHERZL (München), REIMANN (Wien), ZIPPER (Strasbourg), COMTESSE (Suisse), dominae Görres directā, qua dicti Provinciales iudicia de S. o Alfonso publicata deploraverunt.

Eodem die iidem Provinciales similem declarationem demandaverunt editori Knecht qui manuscriptum accepit et librum evulgavit.

1955 8 IX. - Responsum auc tricis ad quinque PP. Provinciales, quo inexpectatum effectum suarum assertionum de S. o Alfonso dolens admisit, sed de quavis intentione minus recta se expertem esse constituit.

De officina libraria Knecht nullum datum est responsum.

1956 14 I. - Pius FANK Can. reg. S. i Augustini, Vöran (Stiria, Austria), in folio singulis hebdomadibus edendo *Die Furche* (Wien) 12 (1956) N. 3, in toto mundo diffusio propter eximia studia « culturae universalis », de libro dominae Görres iudicium tulit, in quo fortiter ea omnia reiecit, quae auc trix de S. o Alfonso indigne ac indecorose affirmaverat; iudicium quoque de nostro S. o Clemente, itidem insipiens, quod scriptrix in studio de S. o Alfonso admiscuerat, strenue reppulit. Concludendo suam in librum illum adnotationem omnia complectens, enuntiationes auc tricis « eine bedauerliche Entgleisung » denominavit.

1956 1 VI. - In folio periodico *Die Anregung, Korrespondenz- und Werkblatt für den Klerus* 8 (1956) N. 11, 17-18, noster RP. Clemens HENZE commentariolum inserire fecit: *Der heilige Alfons in der Verzeichnung der Frau Ida Friederike Görres.*

1956 10 VI. - Eodem fere tempore in periodico catholico iam allegato pro familia christiana *Der christliche Sonntag* 8 (1956) N. 24, 189-190, apparuit, sub titulo unico *Der schwere Weg zum Göttlichen*, primum brevis commentatio PIRP. is REIMANN, *Über Alphons von Liguori*, et deinde item brevis conclusio dominae GÖRRES, *Eine Nachbetrachtung*, quibus scriptis casus comiter compositus fuit.

Domina Görres certo non intendebat de fama S. i Alfonsi inique detrahere; contra, intimam eiusdem Sancti animi complexionem variasque, quae inde enascebantur manifestationes iuste et aequè afferre nequibat unde (imprudens) publica in divulgato libro inaequabilis rei descriptio, et consequenter inevitabilis eiusdem rei refutatio.

2. - *Testimonium sacerdotis et scriptoris Gulielmi Schamoni, 1957.*

Sacerdos Gulielmus SCHAMONI, maxime ob laudatissimum suum opus *Das Antlitz der Heiligen* (Vultus sanctorum), in exteras quoque linguas conversum et subsequenter editionibus auctum, scriptor notissimus, recens novum edidit librum *Kostbarkeiten. Kanonisierte und nichtkanonisierte Heilige über das geistliche Leben* (Paderborn 1957).

Praecesserat et iam ad tertiam pervenerat editionem alius liber rei spirituali dicatus *Gebet und Hingabe. Ausführungen der Heiligen: Theresia vom Kinde Jesu, Johannes vom Kreuz, Franz von Sales, Theresia von Jesus*. Quattuor igitur usus est spectatissimis vitae spiritualis perfectioris scriptoribus; at in praefatione novissimi libri *Kostbarkeiten* ipse dolet, defuisse in choro istorum Quattuor S.um Alfonso Maria de Liguori, quem ipse, ut confitetur, tardius tantum cognovit. Cuius rei excusationem in hoc consistere affirmat (proh dolor, non absque ratione), S.um Alfonso ut doctorem vitae spiritualis in illis regionibus nimis esse obsoletum; iuvat ipsius auctoris verba adducere: « In ihrem Chor [*istorum quattuor supra nominatorum*] hätte auch dem großen Kirchenlehrer Alfons Maria von Liguori ein Platz gebührt. Ich habe ihn leider selbst zu spät für mich entdeckt, weil er als Lehrer des geistlichen Lebens bei uns weithin in Vergessenheit geraten ist. Darum lasse ich ihn in *Kostbarkeiten* ausführlicher als andre zu Worte kommen. Möge dieser große Meister von möglichst vielen als Lehrer und Führer gesucht und gefunden werden! ».

Ita factum est S.um Alfonso in libro de quo agimus, praeeminentem obtinuisse locum. Rev.dus Schamoni adducit eum sub sequentibus numeris seu paragraphis: N° 3 (16-34): *Von der Liebe Gottes und den Mitteln, sie zu erlangen*; N° 21 (140-171): *Ratschläge und Beweggründe zum Vertrauen auf Gott für eine trostlose Seele*; N° 29 (222-229); *Kurze Anmutungen der Liebe zu Gott*, (229-231), *Kürzere Anmutungen der Liebe zu Gott*; N° 30 (232-341); *Kurzgefaßte Regeln für die Leitung einer Seele, die nach der vollkommenen Liebe Jesu Christi strebt*.

In fine libri (252-256) auctor breves notitias dat de scriptoribus sanctis quorum textus excerpterat, locosque indicat librorum quibus usus est. Loci S.i Alfonsi, quos supra enumeramus, desumpti sunt ex libro cui titulus: *Jesus Christus in allerheiligsten Sacrament des Altars betrachtet*. ... Vom heiligen ALPHONS MARIA VON LIGUORI... Neu aus dem Italienischen übersetzt von einem Priester der Congregation des allerheiligsten Erlösers. Dritte, umgearbeitete Auflage... Regensburg, 1866, Manz.-Est volumen III operum omnium S.i Alfonsi in germanicam linguam conversorum (Cfr DE MEULEMEESTER I 202). Versionem et editionem priorum editionum curavit notus P. Hugues. Quis nostrum tertiam editionem curaverit, ignoratur. Sacerdoti saeculari Schamoni grati esse debemus qui S.um nostrum Alfonso novo hoc libro *Kostbarkeiten* inseruit.

Ceterum, in alio novissimo libro *Glaubensbewusstsein und Kirchenentfremdung*, Paderborn 1958 (Imprimatur 1956), pp. 135, adducit S.um Alfonso (p. 67-68) ad demonstrandum, amorem Dei et Iesu Christi facile timorem hominis propter detrimenta et sacrificia supportanda superare. Passus S.i Alfonsi desumpsit. « Aus der Einleitung der *Übung der Liebe zu Jesus Christus*, Mainz 1882, Ss. 11-17. » (Cfr DE MEULEMEESTER I 215, n. 73).

Aestimatio S. i. Alfonsi nostris diebus in territoriis linguae germanicae duobus adductis testimoniis luce certo non plena, sed tamen notabili, illustratur.

IOSEPHUS LÖW

AGNOSCUNTUR SANCTI CLEMENTIS M.H. MERITA
CIRCA RESTAURATIONEM CATHOLICAM IN AUSTRIA

Quamvis a longo tempore apud modernarum rerum austriacarum historicos certo constaret de summa auctoritate ac potentia, quam S. noster Clemens M. Hofbauer, ipse et eius discipuli, circa restaurationem catholicam in Austria exercebat (1), placet tamen observare, quomodo recentes quoque auctores haec eximia merita agnoscere pergunt.

Ita etiam novissime historicarum rerum studiosus austriacus, Franciscus ENGEL-JANOSI, nunc in Universitate Washington (USA) professor, in suo opere *Österreich und der Vatikan 1848-1918* (2).

In quindecim densis paginis (65-80) cl. mus auctor historiam praebet celeberrimi Concordati austriaci an. 1855, quo aetati sic dicti Iosephinismi finis impositus est. Totum « clima », uti aiunt, inde a temporibus S. i. Clementis († 1820) mutari coepit, fuitque Sanctus noster maximum efficacitatis et penetrationis catholicae exemplar, quod in coevas et proximas generationes operare non cessavit.

Transscribimus duos passus, in quibus aperte produntur S. i. Clementis merita circa regenerationem catholicam Austriae, cuius publicum solemneque testimonium Concordatum erat cum S. Sede conclusum.

(P. 66) Die Abkehr vom Josephinismus, die Wiederherstellung « der natürlichen Beziehungen zwischen Kirche und Staat » bildet ein markantes Ereignis in der Geschichte Österreichs im XIX. Jahrhundert...

(P. 67) ...Hussarek (3) hat mit Recht darauf hingewiesen, daß das kirchenpolitische Programm dieser Jahre, « Beseitigung des Josephinismus und Wiederherstellung der Kirchenfreiheit », aus dem Zusammenhang mit dem Geist der Romantik zu verstehen ist, vor allem mit dem Geiste, der in Wien den Kreis um Klemens Maria Hofbauer beseelte; hier waren die Keime gelegt worden, die zu einer Erneuerung und Vertiefung des religiösen Lebens führen sollten und denen das josephinisch-französisches Staatswesen nicht genügen konnte. Die Beratun-

(1) Cfr. I. Löw, *Bibliographia hofbaueriana: Spicilegium hist.* 1 (1953) 271-282, praecipue nn. 396, 401, 425; T. v. BORODAJKEWYCZ, *Die Kirche in Österreich, in Österreich. Erbe und Sendung im deutschen Raum*, ediderunt J. NADLER et H. v. SRBIK, Salzburg-Leipzig 1936, 306-307.

(2) Primum volumen: *Die Pontifikate Pius' IX. und Leo's XIII. (1848-1903)*; Graz-Wien-Köln, Verlag Styria 1958; 8°, XXV-323.

(3) Max v. HUSSAREK, *Die Verhandlungen des Konkordates vom 18-VIII-1855; Archiv für Österr. Geschichte*, Wien 1922.